

circumquaque. Item super plebibus Offima, Gamalerii, & Veximi, Caurti, & Saritelli cum terris, decimis, & pertinentiis per ipsum Ottonem eidem Episcopo, & Aquensi Ecclesie collatis: & fuit quondam datum XV. kal. maii, anno Dominice Incarnationi DCCCCLXXVIII. Regni vero Domini Imperatoris augusti anno XIX., Imperii vero ejusdem anno XI., indictione VI. Actum est autem in Curte, quae dicitur Altesea feliciter amen. Item tertium privilegium est Ottonis Regis Romanorum super praedicta districtione urbis Aquensis, & omnium castellorum, & villarum ad Ecclesiam Aquensem pertinentium, & omnium hominum proprietatem dictae Ecclesiae inhabitantium tam de Cavatorio, quam de Tertio, & de Septebrio, de Cassinis intrinsecus, & extrinsecus per tria milliaria circumquaque, necnon super confirmatione dictarum plebium de Offima, Gamaleriis, Veximi, Caurto, Saritello, terrarumque, & decimarum, & pertinentiarum ipsarum, & fuit quondam datum XII. kal. maii, anno Dominice Incarnationis DCCCCXCVI. Regni vero D. Ottonis invictissimi Regis decimo tertio, indictione octava Actum in civitate, quae dicitur Cremona feliciter amen. Quartum privilegium, & divi Henrici quondam Imperatoris Romanorum concedentis, & confirmantis Ecclesiae, & Episcopo Aquensi castella, & villas praedictas videlicet Cavatoris, Septebrii, Cassinarum, necnon districtionem dictae urbis Aquensis, & eorundem castellorum intra, & ab extra per tria milliaria ab omni parte, ac donationem praedictarum plebium Offinae, Gamalerii, Veximi, Caurti, Saritelli, & S. Vigili cum terris, familiis, rebus, & pertinentiis supradictis, necnon castella, Vidixonem, Mirabellum, Grogardum, Pulsonem, Piretm, Medulliam cum appendiciis eorundem, & omnia praedia, jura, jurisdictiones, & bona omnia, quae quondam Guido Aquensis Episcopus Ecclesiae praefatae per cartulam donationis contulit videlicet, quidquid visus est habere infra civitatem Aquensem, & extra eam in territoriis ejus puta in Septebrio, & in Meladio turribus muro, & fossato circumdatam cum sua portione ejusdem castelli, & villae cum omnibus territoriis, & pertinentiis suis in integrum cum supradictis rebus una cum casis, sediminibus, vineis, terris cultis, & incultis, pratis, silvis, montibus, vallibus, planiciebus, aquis, aquarum decursibus, molendinis, piscationibus, & omnibus rebus mobilibus, & immobilibus, & utriusque sexus familiis ad praedictum Episcopum, & ad praedictas curtes, & plebes pertinentibus, & fuit quondam datum tetio kal. jan., indictione octava, anno Dom. Inc. MXL., anno vero ordinationis Henrici XII. regnantem I., & fuit actum in civit. Ratisbonae felic. amen. Item quintum privilegium est D. Henrici II. Romanorum Imperatoris, per quod subscripta donat, & de jure suo in jus, & proprietatem Aquensis Ecclesiae, & praesulum ejus funditus transtulit, videlicet in civitate Aquensi, necnon in Meladio, Cartosio, Castronovo, quod dicitur Frumentiana, Bistagno, Tertio, Alicis, Paternis, Septebrio, Cassinis, Gamalerio, Cavatorio, Foro, Groniardo, & terris S. Vigili placita, districtiones, & duella

valeant legaliter exerceri. Item concessit eidem Ecclesiae, & ejus Episcopis, & corroborat, quod facultatem habeant, quoscumque advocatos velint eligendi, & potestatem omnis publicae exactionis in praedictis locis, habeant, & exercent recisa omnium Marchionum, comitum, vicecomitum, & aliarum personarum, quarumcumque potestate, & fuit quondam datum VIII. idus julii, anno Dom. Incar. MLII., indict. V., anno autem D. Henrici III. Regis, II. Imperatoris, ordinationis ejus XXIV., regni XIV. Imperii VI., & fuit actum Ratisbonae feliciter amen. Item sextum privilegium est D. Henrici IV. Romanorum Imperatoris, quo donante laudavit, concessit, & tradidit in potestatem Episcopi, & Ecclesiae Aquensis castra, villas, & poderia Montisboni, Verdobii, & Rochettae Palaseae, ac Soirani, & Ronchizenarii, & villas, & terras, & loca inter Tanagrum, & Burmidam consistentia. Item castellum, villam, & terram de Bonovicino cum pertinentiis suis, & fuit quondam datum II. kalendas julii, indictione IX. anno Dominice Incarnationis MCXVI. regnante Henrico V. Rege Romanorum anno X., Imperante VI. actum est. Item septimum privilegium Henrici Regis terras, & loca de Plaxano, & Saralayo cum capella, domibus, vineis, pratis, & pertinentiis Episcopo, & Ecclesiae Aquensi conferentis. Octavum privilegium est celebris, & recolendae memoriae D. Henrici quondam Romanorum Imperatoris Augusti, tum vero Regis avi nostri carissimi praedicta, & alia omnia Episcopi, & Ecclesiae Aquensis privilegia per praedecessores, & Reges Romanorum data, & concessa in genere confirmantis, & fuit quondam datum apud Mediolanum decimo kalendas februarii, indictione nona, anno Domini MCCCXI., regni vero ejusdem anno tertio. Nos igitur praefati Principis, & familiaris nostri dilecti Ven. Guidonis Aquensis Episcopi tam justis, quam devotis supplicationibus benigne occurrentes assensu praedicta privilegia, & omnia, & singula in eis, & quolibet earum contenta, prout per antecessores Dominos Imperatores, & Reges Romanorum provide sunt concessa, ac omnia, & singula praescripta, & infra scripta, & quae dictus Episcopus, & Ecclesia sua possidet, seu quorum possessionem per invasionem, seu occupationem, per alienationem, vel alienationes, infeudationem, vel infeudationes, donationem vel donationes, concessionem, vel concessiones, seu quamvis fraudem, vel violentiam, seu aliquo ingenio, ratione, vel causa, quovis modo, vel aliter amiserunt, vel extra dictorum Episcopi, & Ecclesiae potestatem posita fuerant, perdiderunt, alienarunt, donarunt, vel concesserunt in feudum, seu alio quovis modo, jure, vel forma extra manus fortiam, jurisdictionem, & potestatem dictorum Episcopi, & Ecclesiae posita fuerant, vel sunt ex certa scientia, & de immensa nostra plenitudine potestatis dicto Episcopo Principi nostro, suis successoribus, & Aquensi Ecclesiae praedictae ratificamus, approbamus sibi, & Ecclesiae suae praedictae, iisque successoribus confirmamus, ac de novo de innata nobis clementia liberaliter concedimus, & donamus, dictumque Episcopum in nostra Majestatis praesentia comparentem suo, & praedictae